

MACHINARVM

rotulas mouerit multiplicatione motus fient quęlibet, plura iam describere non possum sed alias deo fauente scribam.

PROP. LII.

*Machinamentum vt non vulgare (sicut opinamur) ita singulare, in eiaculanda aqua aduersus incendia maxima, cum flamma superante nulli propius ad ædes patet aditus.*

*Declaratio 52. figura.*

Rotis duabus nititur instrumentum instar conoidis factum cuius apex vergit ad septentrionem, prope basin autem est semicirculus cuius opera eleuatur aut deprimitur. Ad extremitatem septentrionalē est infundibulum quo aquę infunduntur, & ad basin siue partem meridionalem instrumenti est quidam monens manubrium in cuius fine est cochleę pars interior, qua ducitur & reducitur lignum interius in quo sunt stupę, vt in apoticariorum syringis. Reliqua patent.

PROP. LIII.

*Artificium non contemnendum, quo cymba cum mercibus in portu depressa non modo merces, sed ipsum quoque nauigium vel integrum vel discerptum extrahi queat vt eo impedimento portus liberetur.*

*Declaratio 53. figura.*

Nihil noui in hac machina est, etsi tamen subtilitate non caret, quę est in modo & ratione qua pars interior cochleę mouetur. Apparet autem modiulus ad septentrionem ex quo radii eminent quibus mouetur modiulus & illo moto mouetur cochlea interior, cum modiulus ipse sit exterior, sunt etiam duo ligna inferius scilicet & superius, quorum foramina sunt ad instar cochleę exterioris fabricata vt in eis cochlea interior verti possit. In cuius cochleę interioris fine meridionali sunt manus ad pondera sursum trahenda. Omnia sunt facilia.

PROP. LIIII.

*Machinę genus haud dissimile ei quod olim Syracusis exhibuit Archimedes cum opera trispasti, & vnica manu è terra in mare ingenti magnitudine nauim deduxit, spectante rege Hierone, cum plebe infinita quę omnibus viribus coniuncta idem nequirit efficere.*

*Declaratio 54. figura.*

Quanta sit huius machinę excellentia nemo verbis dicere potest cum certorum instrumentorum triplicatione vis eorum penè in immensum augeatur.

Hic est vna trium trispastorum idest cochlearū infinitarū cōstitutio, quę est in naui fixata ancoris quę vergit ad meridiem, in cuius superiori compagine lignorum, quinque tigni à meridie ad septentrionē apparent, in quorum primo quidam est circumagens manubrium quo mouentur omnes trochleę trispastorum, ita dispositę, vt ea quę in tertio tigno est prima moueatur & moueat hanc quę est in secundo, quę denique moueat illam quę in quinto tigno est circa cuius axem circumuoluitur funis nauis deducendę ligatus. Quę patent ex figurę lineamentis.

PROP. LV.

*Artificium hactenus incompertum quo trispasti auxilio paruo operarum labore nauigia haud plane vasta in litus subducantur & reficiantur.*

*Declaratio 55. figura.*

Fulcimentū machinę nititur cardine sicuti moletrinaę frequētes, vt liberè onera subleuata possint

sint